

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE
VARIIS SPECIEBVS
MORBORVM EPIDEMICORVM,
ATQVE
EORVM VERA CAUSA, INDOLE
ET CVRATIONE,

QVAM
AVSPICE DEO. O. M.
ET

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
CONSENSV
PRAESIDE

DNO. ANDREA NVNN

S, PALAT. CAESAR. COM. ORDIN. MED. ADSESS. INSTIT. MED. ET CHIR.
PROF. PVBL. ORDIN. COLL. MED. ADSESS. ET ACAD. ELECT.
SCIENT. SOCIO

PRO DOCTORIS

HONORIBVS LEGITIME ADEVNDIS
PVBLICAE DISQVISITIONI SVBMITTET
IOH. AVGVSTVS DORFFMEYER,
ZITTAVIA - LVSATVS

H. L. Q. C. DIE XXXI. MAII MDCCLVIII.

ERFORDIAE,
Typis HERINGIANIS, ACAD. TYPOGR. = =

II. diss. A
5, 25

Sl. H. 205 (25)

V I R O

EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO ATQVE
EXPERIENTISSIMO

IOAN. CAROLO
HEFFTERO,

DOCTORI MEDICO, ET APVD ZITTAVIENSES POLIA-
TRO DEXIERRIMO

PATRONO SVO MAXIMO IN
HONORE HABENDO

DISSERTATIONEM HANC INAUGVRALEM

TESSERAM SEMPITERNI CVLTVS ET OBSERVANTIAE,
SEQVE IPSVM

DEDICATVM CVPIT

ATQVE INTER ARDENTISSIMA PRO EIVS INCOLV-
MITATE ET PROSPERITE VOTA

SE SVAQVE COMMENDAT

IOANNES AVGVSTVS DORFFMEYER.

V E R O

EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO ATQUE
SERENISSIMO

IOHANNI CAROLO
HERFORDI

DOCTORI MEDICO, ET APOD SITTAVIENSES FORIS
P. D. B. S. S. S.

PATRINO SVO MAXIMO IN
HONORE HABENDO

INSTITUTIONEM HANC ACADEMICAM

INSTITUTIONEM C. P. S. S. S. S. S.

ARGUMENTUM

DEDICAVIT. C. P. S. S. S. S. S.

ALIO QUO SUPPLEMENTUM PRO FINE INCOLA

AD HANC PARTEM PROFERRE VULT

DE HANC COMMENTAT

IOHANNES AUGUSTUS KRETMAYER



Du hast, geehrter Freund! bisher die Last gefühlt
Die Teutschland hart bedrückt, und Zittau sehr erfahren,
Dein Zittau, wo der Krieg und Brand so lang gewüht!
Getrost! der Himmel wird nicht stets so hart verfahren
Er fängt schon an, o Freund! Dich wieder zu beglücken,
Bekrönet Dich mit Lust, die Ehre mit sich führt,
Die wohl erworben ist, und wird Dich noch entzücken,
Wenn Du viel Kranken hilffst, und wenn die Braut Dich rührt,

Mit diesem wenigen empfiehlt sich der be-
harrlichen Gewogenheit des neuen Herrn
Doctoris

C. A. Mangold,

Professor der Med. und Philos. Facult.
des Collegii Medici und der Churfürstl.
Acad. der Wissensch. Beysitzer, und Mit-
glied der Königl. Acad. der Wissensch.
zu Montpellier,

D

Minerva

Minerve sann bestürzt dem bangen Schicksal nach,
Wie bey Bellonens Wuth und tausend Ungemach
Auch selbst die Krankheit tobt, als ob sie rasend wäre,
Wie sie der Jugend Schmuck, so wie des Martis Heere
Mit Ihrer blassen Hand in Staub und Moder streckt
Und sie zum Untergang noch immer fort ausreckt:
Als ihr Hygea gleich, da sie so sann, erschiene
Sie lächelte und sprach mit ihrer heitern Mine:
Hier bring ich einen Arzt, der wird der Krankheit Wuth
Schon helfen Einhalt thun, gieb ihm den Doktor Hut.
Ich blickte hin: und o! . . . hier sah ich den Mann stehen,
Den mir der heutge Tag als Doktor lässet sehen.
Ich wünsche Dir, mein Freund! zu dieser Würde Glück,
Bisweilen denke noch an Deinen Freund zurück.

J. N. Weißmantel,
d. H. G. G. B.





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
VARIIS SPECIEBVS MORBO-
RVM EPIDEMICORVM
ATQVE
EORVM VERA CAUSA, INDOLE ET
CVRATIONE.

§. I.



Morbus epidemicus dicitur adesse, si is peculiaribus quibusdam Symptomatis, sibi similibus, multos homines in dato quodam tractu terrarum adfligat, voce ab ἐπι, super & δῆμος, populus, derivata, unde Latine: popularis, dici posset. Cum vero symptomata sint signa, (per principia semeiot.) & similia constituent genera & species, eadem similia vero à simili causa produci debeant, patet, morbum epidemicum esse congeriem symptomatum

tum, ut signorum, morborum, similiarum generum & specierum, à causa simili multos homines affligente; & si a morbo endemio, sive qui populo cuidam peculiaris est, distingui debeat, addi debet, congeriem istam, aliquo tempore post, in dato illo tractu evanescere, & propriam cuidam populo non esse.

§. II.

SCHOLIUM.

Potest fieri, ut morbus quidam simul sit endemius, & epidemicus. Sic e. g. in Turcia & Barbaria pestilentia vera fere perpetuo ingentem hominum stragem edit, & mitiorem saltem quandoque genium induit; igitur ibi locorum endemia est; sed alios simul terrarum tractus affligens, epidemia dici meretur. Igitur genus morborum epidemicorum & endemiorum esse posset: Polydemii morbi, cum multos simul adorian- tur homines, vocabulo à πολὺς multus & δῆμος, populus desumpto.

§. III.

Morbi Epidemii me quidem iudice, apte dividi possunt: 1) secundum signa, sive symptomata morborum, eos insignientium, in morbos epidemicos, ubi vel pauciora vel plura adsunt Symptomata, eaque iterum vel periculosa, vel minus periculosa, & vel acuta vel longa.

§. IV.

2) Secundum varias annorum constitutiones, secundum quas illas cum Sydenhamio vel Stationarios adpellabi-

bimus, si per datum quoddam tempus fere continuo perdurent, & extra certam quandam aëris constitutionem non compareant epidemice, vel intercurrentes, si alias, cum non epidemice grassantur, certa symptomata necessario in suo decursu producant, jam vero ad genium febris epidemicæ se componant, vel anomalos, si nullum fere typum & in productione symptomatum ordinem servent.

§. V.

3) Secundum anni tempus in vernaes, æstivos, autumnales & hyemales, quamvis æstivi veri propiores, ad vernalium, auctumno vero propiores ad auctumnalium genus, ingenio suo quodammodo accedant; eodemque modo hyemales auctumno viciniores ad autumnales, veri vero magis propinqui ad vernaes, ob quædam illis communia, referri possint.

§. VI.

SCHOLIVM.

Exemplum ejus morbi epidemii, ubi plura adsunt symptomata respectu alius talis morbi, præbere potest, si Pleuritis epidemia, quæ quandoque maligna est, conjuncta sit cum Phrenitide & Angina; ejus vero morbi epidemii, ubi pauciora adsunt symptomata, exemplum est pleuritis epidemia à sola perspiratione post æstuationem, in pectore suppressa, neque cum Phrenitide, neque Anginâ complicata.

§. VII.

SCHOLIVM.

Periculosi sunt omnes morbi epidemii maligni,

A 3

&

& qui à contagio oriuntur; minus vero periculosi, qui levibus inflammationibus, & inter causas non naturales aëris solummodo mutationi, à frigore vel calore, aut humiditate vel siccitate, harumque qualitatum vicissitudini non adeo subitæ, originem suam debent.

§. VIII.

SCHOLIVM III.

Acuti sunt plerique morbi epidemici febriles; illi vero, qui febrem non habent sociam, e. g. quædam dysenteria & scorbuti species, vel ubi saltem febris maxime est mitis, longi sunt.

§. IX.

SCHOLIVM IV.

Stationariorum exempla exhibent omnes illæ febres, quæ in exanthemata & tumores glandularum epidemios pronæ sunt, quæ quandoque non sparsim ob privatam in aliquo corpore causam, sed ob aëris mutationem eam, quæ à subtilissimis in eo & naturæ adversis manantibus corpusculis provenit, ingruunt. Intercurrentes vero sunt præcipue morbi inflammatione hominem adgredientes, qui vero, cum epidemice regnant, morbi epidemici Stationarii indolem quadantenus adsciscunt, eaque propter maligniores esse observantur.

§. X.

SCHOLIVM V.

Anomali fiunt morbi epidemii, si à natura morbi
alicu-

alicujus, quam e certis quibusdam signis alias novimus, plane desciscant, & aliam præ se ferant indolem; e. g. si variolarum discretarum eruptio contingat ante quartum diem, & magis depressæ in pluribus ægrotis maneant, ac in variolarum discretarum specie alias fieri solet, & si pleraque symptomata peregrini quid ostendant.

§. XI.

SCHOLIVM VI.

Vernalium specimina sunt febres epidemiæ intermittentes cum continuis complicatæ, vernaes; æstivorum vero dysenteria æstiva; autumnales præcipue sunt dysenteria autumnalis, & quartana continua; & hyemales denique, omnes illi morbi, qui à transpiratione suppressa originem ducunt.

§. XII.

Species igitur morborum epidemiorum, quæ medicinam facientibus ex usu sunt, is facile determinabit, qui consulturus est dicta §o 3 - II. Species nempe eorum, in quibus pauciora adsunt symptomata (§. 3.) eruuntur ex omnibus illis morbis, qui simplices & regulares, neutiquam vero complicati & irregulares sunt; in quibus vero plura adsunt symptomata, ii è simplicibus istis sunt compositi.

§. XIII.

Commode dividuntur simplices morbi epidemici secundum partes nostri corporis, quæ præ aliis à causa simili

fimili

simil vel communi popularive adfliguntur: 1) in eos, qui in caput tela sua vibrant, quales sunt febres comatosæ, & apoplecticæ, elegantissime à Celeb. WERLHOFIO descriptæ, catarrhales, phreneticæ, & illæ quæ parotides comites habent. 2) In eos, qui collum impetunt, quorum species inferiores sunt febres cum angina & broncho, horumque variis speciebus. 3) In eos, qui pectus adfligunt, unde oriuntur febres peripnevmonicæ, pleuriticæ, pleuropnevmonicæ, & tusses epidemicæ. 4) In eos, qui in partes infimi ventris impetum faciunt, quorum igitur species inferiores sunt: febres cholericæ, dysentericæ, colica biliosa, & febres stomachicæ, intestinales, & mesentericæ Recentiorum. 5) In eos, qui externas corporis partes adgrediuntur, quorsum referri possunt: febres rhevmaticæ, sudor Anglicus, morbilli, rubeolæ, febres petechiales, miliares, scarlatina, febris urticata, febris variolarum tam discretarum, quam lymphaticarum benignarum (confluentes enim & anomalæ malignæque plura ostendunt symptomata, ac hæ) & febres denique arthriticæ, erysipelatosæ, & scorbuticæ. Omnes hos morbos, quandoque epidemice regnasse, observatione constitit.

§ XIV.

SCHOLIVM.

Non nego, omnes hoc morbos (§. 13.) etiam alias partes, præter dictas adficere posse, & re vera subinde adficere; in exercitio tamen artis, & in Observationibus, à pluribus fama illustribus Medicis, editis, solitari-

rio-

riorum five simplicium in ipsis epidemicis, occurrunt haud raro exempla. Non hinc simplicissimos indigito, sed simplices tantum.

§. XV.

Species morborum epidemiorum, ubi plura adfunt symptomata, (§. 3.) omnes eæ sunt, quæ in plures partes se inferunt & magna vi copiisque adscitis homines invadunt; quorsum igitur pertinent omnes morbi epidemii, qui compositi sunt è morbis dictis (§. 6.) & ubi plures partes, vel simul vel una post alteram, & vario tempore paulo pauciores, & paulo plures, non tamen solitariae, adficiuntur.

§. XVI.

SCHOLIVM.

Nimis longum foret, omnes has species enumerare velle; exempla vero eorum exhibere possunt, tam dictum (§. 4.) quam febres comatosæ & apoplecticæ cum febribus intermittentibus anomalis & mali moris, conjunctæ; catarrhales malignæ petechizantes & miliaris; anginæ epidemiæ, quæ simul partes deglutitioni inservientes, & eas, per quas spiritum ducimus, pharyngem nempe & laryngem, adoriuntur, quæque simul cum pleuritide & phrenitide, & aliis dictis morbis, vel solis, vel pluribus, subinde conjunctæ sunt; & sic porro; tot enim dantur harum species, quot conjunctiones secundum regulas artis combinatoriæ, quæ pars est Logices, possibiles sunt; Clinici vero Medici id agunt, ut, quid re vera in artis usu observaverint, qualesque

B

lesque

lesque epidemiorum compositorum morborum in hac vel illa anni constitutione species detexerint, in publicum proferant; nec fere ulla est possibilis conjunctio, quæ non aliquando, arctiori licet limite inclusa, adparuerit, & mortales adflixerit.

§. XVI.

Periculosa adsunt in morbis epidemiis symptomata, (§. 3.) si actiones lædantur vitales; minus vero periculosa sunt ea, si actiones tantum lædantur animales & naturales; licet læsio actionum vitalium non admodum magna non ideo mortem adferat, & læsiones actionum reliquarum itidem post aliquod tempus ob consensum cum vitalibus possint evadere periculosa.

§. XVII.

Periculosi igitur sunt morbi illi inflammatorii, qui pulmones difficili valde respiratione, cor & arterias motu nimium aucto vel imminuto, aut plane anomalo, atque cerebrum phrenitide, apoplexia & adfectu quodam soporifero adficiunt; nec non morbi illi contagiosi, qui materia sua, eandem morbi speciem in alio animali producente, dictas partes adgrediuntur. Facile vero pervideri potest, quod, quo plures partes ab inflammatione, vel contagio adficientur, periculum oriatur majus.

§. XVIII.

Minus è contra periculosi erunt illi, qui levi tantum inflammatione partium aliarum, vel contagio miti homines adoriuntur. E. g. dysenteria non acuta, sive bilio-

biliosa, sed potius acida, cujus speciei, præter illam, meminit Cl. LA METTRIE, (dans le Traité sur la dysenterie); Variolæ discretæ benignæ; catarrhales febres benignæ, & febres rhevmaticæ, quæ in partes externas tantum, non vero simul in internas, vitales præfertim, detonant.

§. XIX.

Acuta adsunt in morbis epidemiis symptomata (§. 3.) si & plura & vehementia sint. Notum est, morbos acutos respectu temporis dividi in 1) acutissimos, 2) peracutos, 3) acutos proprie sic dictos, & 4) acutos ex decidentia, qui nempe ad mensem, vel etiam quadraginta dies decurrunt.

§. XX.

Acutissimi morbi (§. 19.) exempla præbent 1) Sudor Anglicus, non ita pridem etiam in Gallia & aliis alio tempore regionibus observatus, 2) pestis ea species, quæ homines nec opinantes, atque in planteis obambulantes derepente corripit, atque trium dierum spatio interimit, 3) angina gangrænosa, quæ ante aliquot in Gallia sæviit, & 4) febres apoplecticæ & soporosæ.

§. XXI.

Peracutorum morborum nomine (§. eod.) ii venire possunt, qui primo septenario, die critico, communiter finiuntur, e. g. quædam Pleuritidum, Peripnevmoniarum, Phrenitidum & Anginarum species, licet alii, qui exempla (§o 20.) adducta, non attenderunt, hos

morbos ad acutissimos referant, & duobus septenariis peracutos includant.

§. XXII.

Acuti proprie sic dicti (§. 19.) sunt pleræque species febrium inflammatoriarum, catarrhalium & exanthematicarum, secundoque septenario in die critico finiuntur. Quandoque tamen etiam ad vigesimum usque diem porriguntur, & tertium septenarium complent.

§. XXIII.

SCHOLIVM.

Dantur quidem etiam alii dies critici, sed dicti tamen (§. 20, 21 & 22) sunt maxime communes; nam si Hippocratis conferantur observationes, adparebit, diem septimum dedisse 28 iudicia, diem decimum quartum 19, & diem vigesimum 16, cum reliqui dies omnes non ad eum numerum ascendant, exceptis quinto, qui 15, & sexto, qui 25 dedit iudicia, quæ tamen si conferantur, cum iis, quæ die tertio, septimo decimo quarto & vigesimo acciderunt, multo pejora, atque magis lethalia vel mala, quam critica fuerunt; & quod ad quartum diem attinet, qui quoque 12 dedit iudicia, referri is etiam adhuc potest ad finem morborum acutissimorum (§. 20) cum æqua quantitas earum crisi fuerit bona & mala, atque quidam horis inter tertium & quartum intermediis morti dentur, vel cum sanitate redeant in gratiam.

§. XXIV.

§. XXIV.

Acuti denique ex decidentia (§. 19) sunt omnes illi qui supra tres hebdomades, & ad quadragesimum usque diem perdurant; atque aut sunt morbi recidivi, presso pede morbum priorem infecuti, aut febres novæ ab inflammatione in suppurationem, vel ichorem, vel scirrhum, in margine inflammatum, versa; sed si supra quadragesimum diem decurrerint, lentæ febris nomine veniunt, si plures exacerbationes recidivæ sese excipiant, aut hecticæ, si viscera dictis malis conflictentur.

§. XXV.

Stationarii morbi epidemii (§. 4) dividi possunt 1) secundum criseos modum in sudatorios; qui nempe sudore felicissime solvuntur, qualis fuit pestis, quam Sydenhamius descripsit; in salivatorios, ubi critice, uti in variolis confluentibus, materia morbi abit per salivales ductus, & febris, licet variolarum eruptio non contingat, febris tamen variolosæ speciem refert; in dysentericos, in quibus quidem nihil dejicitur valde notabile, aut plane non, qui tamen tam torminibus, quam aphthis & aliis symptomatis, tam dysentericæ ipsi, quam febrî dysentericæ supervenientibus, conveniunt cum dysenteria, & sanguinei etiam vocari possent, cum sanguinis missione & sanguinem diluentibus & temperantibus crisin adipiscantur; atque in plures alios. 2) Secundum partem, quam adgrediuntur. Sed de his vide §os 10, 11, 12 & 13; & consulendus est omnino Sydenhamius, cujus doctrinam in hac re paulo obscuriorem, ut planiorem reddam, annitor.

§ XXVI.

Intercurrentium (§. 4.) totidem sunt species, quot dantur species inflammationum tam externarum quam internarum, quæ epidemice occurrere possunt, quæque cum febre epidemica Stationaria in quibusdam symptomatis tum conveniunt. Sic e. g. Pleuritis non semper cum doloribus dorsi & artuum incipit, sed, si essentialis & pure inflammatoria est, dolor tantum pungens adest in pectore, præsertim in regione papillarum, & cum solvi incipit, dolor ad scapulam adscendit; si vero, quo tempore hominem corripit, regnet alia febris epidemia Stationaria, quæ cum doloribus artuum & dorsi incedat, etiam Pleuritis talibus doloribus insignitur, neque tum ei mederi convenit, ut pleuritidi essentiali, sed ut feбри tum temporis regnanti, nisi à privata causa, neutiquam vero à contagio aut communi causa, ea Pleuritis orta sit.

§. XXVII.

Anomalorum morborum epidemiorum itidem tot extant species, quot morborum regularium, sive simplicium sive compositorum (§. 12 & 13) species in ipso artis exercitio detegimus. Si enim plures causæ, sibi contrariæ, morbum quendam producant, idem fit, quod in omni actione corporum & subtilissimarum etiam materiæ partium in se invicem quotidie evenire videmus, ut nempe tertium quid & effectui causæ essentialis atque regularis contrarium accidat. In quibusdam enim variolarum anomalarum speciebus, tum, cum dysenteria sudatoria regnaret, à Sydenhamio sudores

dores anomali primis diebus fuerunt observati (v. ejus Opuscula universa p. m. 321), quid? quod eodem tempore variolæ regimine justo calidiori provocatæ per dysenteriam nonnunquam sibi viam fecerunt (ibid. p. m. 254). Acris nempe & subtilissima tum temporis materia dysenterica humores istos, qui in variolis in cutem contextumque cellulosum deponi, & in suppurationem abire debebant, ut puto, nimium fudit, & regimine calidiori adhuc magis exagitados, neque moram ad suppurationem perfectam neccentes, qua data tum temporis porta, invitavit.

§. XXVIII.

Morbi epidemii secundum anni tempus adfligentes (§. 5) omnes fere præcedentes esse possunt; magis tamen hyemi conveniunt morbi catarrhales & rheumatici, quam inflammatorii, qui æstati potius conveniunt, quam hyemi. Dysenteria & quartana continua potius autumnales sunt, quam vernaes; in quorum tempus magis incidunt Variolæ & morbilli, illis tamen quandoque ad hyemem usque progredientibus. Sed in omnibus his nihil adeo perpetuum est, ut non aliquando exceptio quædam locum habeat. Eam solummodo ob causam hæ species attendendæ sunt, quod medendi ratio valde variare debeat secundum anni tempora, nam quandoque ob æstum nimium ea conducunt temperantia remedia, quæ alio tempore maxime essent nocitura, & vicissim ob frigus pergrave ea diaphoretica & resolventia locum habent, quæ angue canequæ pejora essent futura, si in aliud tempus incidere morbus.

Neuti-

Neutiquam tamen id volo, non esse simul attendendum ad naturam morbi & ægri ipsius, quid possit ferre, quidve recuset.

§. XXIX.

Atque sic sensim devolvimur ad veras causas morborum epidemiorum, eorum variæ indolis, & curationem hisce superstruendam. Tres scilicet potissimum sunt causæ eorundem: 1) aër, quo omnes utimur, qui proinde communem pluribus hominibus causam præbere potest, præsertim si venti quidam ad producendum talem morbum idonei, perpetuo flent, quale quid in præsentis observare licuit, ubi longo jam tempore Venti Orientales, è Turcia & Asia flantes principatum obtinuerunt; dein etiam aëris constitutio variare potest secundum heterogenea varia admista e. g. à multis cadaveribus non satis terra tectis; & ipsa denique anni varia tempestas eo facere potest.

§. XXX.

2) In victu causa similis communisve hæret, si plures homines eodem fere, & malo quidem, victu utantur. Accidit hoc præsertim in obsessis urbibus, in itineribus longis maritimis, & cum exercitus ob annonæ caritatem, vel putridum mucidumque cibum & potum, accedente inprimis aëris intemperie, languent. Oriantur inde varia mala, & in Hungaria e. g. febris castrensis Hungarica, ab esu fructuum ibi reperiundorum, potu aquæ putridæ, & aëris mira intemperie, cum observante Celeb. KRAMERO, à solis ardore in nudo animali

animali vivo oriantur statim pustulæ, ut in febre urtica; vel dysenteria; in aliis vero regionibus scorbutus, qui autem non, ut quidam putant, à solo defectu fructuum cerealium & horæorum originem ducit, uti Cl. NITZSCHIVS (in tr. de tr. de scorbuto, Petropoli 1747 edito,) observavit, sed etiam à mœrore, à cibis putridis, ab habitationibus humidis, & aëri puro non patentibus, à refrigeratione humida, & defectu somni, unde etiam scorbutum dividit in acutum & doloris plenum, & chronicum; huncque iterum in lividum, lenticularem quasi petechialem, rancidum & muriaticum, quorum posteriorum ille a corruptione pendet pinguedinis, hic vero à nimio salitorum & carniuum fumo induratarum usu.

§. XXXI.

3) Contagium tertiam morborum epidemiorum causam præbet, quæ latius adhuc plerumque se extendit, & majorem hominum stragem in regionibus, etiam diffitis, edit, ac secunda (§. 26). Subtilissima profecto pestis & febrium pestilentialium, exanthematicarum & malignarum debet esse materia, & qualitate quædam, maxime vitæ adversa, prædita. Nonnulli quidem scriptores medici, e. g. Sydenhamius ab occulta aëris qualitate contagium hac oriri contendunt, alii vero ab acrimonia quadam peculiari, iterumque alii, ab inflammatione omnia deducunt; sed, pace illorum, neque plane occultam esse illam aëris qualitatem, neque acrimoniam semper adesse, sed ejus potius contrarium, neque in principio inflammationem essentialem adesse, demonstrabo.

C

§. XXXII.

§. XXXII.

Non ab occulta aliqua & inexplicabili aëris qualitate, morbos epidemios contagiosos pendere, inde apparet, quod multi homines, qui infectorum consortio non utuntur, iisdem non adfligantur, & quod ne quidem aër, maxime halitibus aliorum epidemico modo ægrotantium refertus, semper alios inficiat; quoad alterum enim nonnulli Medici e. g. Celeb. RIVINVS, videntes à peste ne quidem eos quandoque, qui sæpissime cum illis, qui sic adfecti erant, communionem habebant, infici, in eam paradoxam sententiam delapsi sunt, non esse metuendum contagium, & ipse novi, matres & patres quosdam infantes suos, variolis confertissimis laborantes, portasse, & consortio eorum diu noctuque usos, neque tamen ab iis infectos fuisse, licet eas nondum experti essent; & quoad primum, notum est, non omnes domos in urbe quadam, vel omnes pagos in quadam regione infici, si pestis regnet, sed eos tantum, ubi quis ex iis commercium habuerit cum infecto.

§. XXXIII.

Non nego quidem, ventos e regione aliquâ, ubi morbus quidam contagiosus valde grassatur, flantes, aliquid venenosi posse adportare; attamen, licet venti quandoque è Turcia & Barbaria Hungariam versus & Italiam flent, non ideo pestis oritur in his regionibus, nisi quis vel ipse, vel ejus quædam merces aut supellectilia quadraginta dierum spatio (la Quarantaine) in loco sano non morata sint. Sed, si, ut neutiquam inficias iturus sum, venti aliquid conferunt ad morbos
pro-

producendos epidemios, id sane tantum conferent, ut alius morbus epidemius à causa prædisponenti facilius oriri queat. E. g. venti orientales hucusque regnantes potuerunt quidem aliquid contribuere ad morbum, qui jam adhuc sævit, epidemium, sed causæ domesticæ & prædisponentes plures fuere, terror puta, tot cadaverum non rite humatorum, nec terra satis tectorum, halitus, aëris vicissitudines, & miseria innumerorum hominum, quam peperit bellum; characterem vero pesti proprium quodam modo per ipsos ventos mutari, non absque ratione puto.

§. XXXIV.

Cum igitur certum sit, contagium non adeo late in aëre disseminari, sed propius paulo homines adoriri, & cum itidem certum sit, luem bouum & aliorum animalium non transire in homines, & vicissim horum luem non in luem animalium, atque contagium variolosum v. c. non excitare phthisin, nec hujus contagium variolas, vel morbillos, vel aliud quodvis exanthematum genus, patet, in certis quibusdam partibus animalium, & inter hæc, hominis, contagium quoddam datum formari, quod itidem non in aliam partem sese infinet, quam quæ similis sit illi, unde ortum fuit, nisi id fiat per consensum & connexionem omnium partium inter se invicem.

§. XXXV.

Jam si hanc complicatam notionem evolvamus, deprehendemus, in structura partium organica, & mixtura humoris, cuilibet parti proprii, contagii, specie

differentis, causam residere, tumque ipsam ejus indolem notam fore, si investigetur, quo modo partes illæ, & humores sic mutari possint, ut eandem morbi speciem in alio simili animali producere queant (§. 17.)

§. XXXIV.

Lubet ergo, ut exemplo unico res omnis fiat clarior, nam nimis longum foret, de omnibus dicere, contagii variolosi naturam, & differentiam à quibusdam aliis, considerare. Hoc à Saracenis in Europam fuisse delatum, neque ante illorum tempora apud nos comparuisse, vel aliam saltem præ se tulisse faciem, alios characteres, indolem aliam, Celeb. WERLHOFFIUS solide demonstravit (in tr. de variolis & anthracibus), & plerique scriptores medici in eo conveniunt, quod ex interiori Africa ortum suum duxerit, ubi tam ob inundationes fluminum majorum, Nili nempe & Nigri periodicas, indeque ortam putredinem, quam ob diversum præcipue à ceteris nationibus cutis succorumque eo defluentium habitum, & eum quidem admodum plenum, ut idem Ill. Auctor probabile reddit, addo & ob pinguedinem animalium, sæpe rancidam, quibus Afri plurimi se inungunt, determinatio ad cutim, & præcipue ad contextum cellulosum in toto corpore, indeque hoc contagium peculiare oriri potuit.

§. XXXVII.

Quidquid horum sit, nulla pars corporis humani fluida magis idonea est, ad producendum contagium, quod inflammatiunculas primum rotundas, tumque
suppu-

suppurationem, & si humor, qui in suppurationem abi-
re debebat, nimis fluidus & acris sit, ichorem progigne-
re possit, quam oleosa five inflammationi apta; hæc
continetur æque in sanguine, chylo, lacte, ac in aliis
partibus, magis tamen in illis, cum inflammationi, si ex-
siccentur, æque, ut pus exiccatum, idoneæ sint; cum igitur
horum humorum cum pure in hac re convenientia fa-
tis pateat, & partes oleosæ five pingues præcipue in te-
la cellulosa (rotundiorem præ aliis partibus figuram
amante) totius fere corporis ope secretionis deponantur,
& si mutationem quandam præter naturam patiantur,
in inflammationem subinde, tumque in suppurationem
abeant, & oleosa putredinem maxime augeant, facile
inde pervideri potest: cur & partes subtilissimæ pu-
tridæ inde, ope adhiatus, vel consortii mutui, in alium
hominem transire, & cum putredo determinata simi-
lem in aliis similibus corporibus putredinem excitet,
in eo eandem morbi speciem procreare possit, curque è
venis resorbentibus in corpore ubivis patulis, si nimis
fluida existat, in interiores partes abire & ibi tristes
tragoedias excitare queat.

§. XXXVIII.
SCHOLIVM.

Putredinem determinatam similem in aliis simili-
bus corporibus, eorumque partibus, putredinem exci-
tare, per collectionem plurium exemplorum, five, ut
ajunt, inductionem, adhuc magis probari potest. (§. 34.)
Neque enim putredo in venerea lue præsens pestem,
neque hæc luem veneream producit; quid? quod lue

C 3

venerea

venerea laborantes in quibusdam pestis speciebus à peste liberi manserunt, teste Foresto, & Eman. Timone, (Phil. Transact. N. 364.) de peste Byzantina; neque phthisis, cancer mammarum & aliarum partium, scabies & gangrænæ quædam speccies aliam partem contagio adficiunt, & alios effectus atque symptomata producunt, quam quæ similia sunt illis quæ producit miasma determinatum. Idem probat insitio variolarum, quæ non aliud contagium progignit, ac illud, quod speciem eandem morbi in simili homine, protulerat; probat etiam lues vervecum, in hominem vel bovem non propaganda, & fœtor alcalinus sive putridus cui-libet animali proprius.

§. XXXIX.

Alio tempore demonstrabo, variolas confluentes erysipelatis cujusdam suppurantis, discretas verophlegmones speciem quandam referre: purpuram in vasis perspirabili Sanctoriani dicatis, fomitem & sedem suam sub epidermide habere, & magis vel minus alcalinam quin quandoque acidam simul indolem ejus perspirabilis ostendere; petechias vero esse ipsum sanguinem in extremitates vasorum cutis subtilissimorum ob nimiam quarundam ejus partium tenuitatem, abire nitentem; sicque tam horum, quam reliquorum morborum exanthematicorum & contagiosorum naturam causasque paulo planiores reddere conabor.

§. LX.

Cum igitur satis certum sit per dicta, aërem non occulta quadam qualitate, sed ob putredinem vel alios halitus, satis ex effectibus notos, contagium producere;
neque

neque acrimonia semper in causa fit (§. 31) cum multi dentur morbi contagiosi, ubi irritabilitas & sensibilitas, quæ ab acrimonia augeri deberent, valde imminuta est, exemplo eorum morborum contagiosorum, ubi ne ulla quidem omnino febris adest, (vel Cl. SCHREIBERI tr. de pestilentia, quæ in Ucraina grassata est, p. 15) & ubi lipothymia, affectus comatosi & pulsus sanus, vel valde parvus & languidus, sensuumque vel unius vel plurium & motus defectus occurrunt, quique proinde à contagio narcotico pendere videntur; neque inflammatio, quam quidam pro causa horum morborum agnoscunt, omnemque suam Methodum ad illam ejusque consequentias compescendas componunt, omnia explicet, cum Celeb. WERLHOFFIUS clinice monstraverit (ibid. p. 89. in nota & passim) Methodum illam in variolas raro quadrare & eâ periculi plenam aleam ludi, in discretis vero & benignis eam plane non esse necessariam, & satis constet, contagium esse essentiale, & inflammationem ejus tantum effectum; paucis adhuc addere placet, quo modo aëris nocivis qualitatibus, victui pravo & contagio, causis nempe adlegatis, obviam iri possit, cum ob temporis penuriam, & festinandi necessitatem plura in præsentî proferre non possim.

§. XLI.

Aer quovis modo purus est reddendus; id quod fieri potest, si lectus, fenestræ & januæ non semper occlusæ teneantur, sed ea saltem observata cautione, ne aër paulo frigidior impingere possit in adfectum; quid? quod si plures in eodem conclavi decumbant, uti præsertim fit in Nosocomiis, valde optandum esset, ut etiam
in

in nostra Germania Ventilatoris Halefiani vel alius simili-
 us usus introduceretur, cuius sane utilitas multis jam ex-
 perimentis fuit comprobata, cautione tantum supra di-
 cta simul adhibita. Nec reticendæ sunt suffitiones, &
 præsertim conspersio pavimenti aceto aliisque acidis,
 quin adpersio eorundem, ad lateres candentes.

§. XLII.

Victus, si fieri possit, mutandus, & cum in pluri-
 mis epidemiis morbis alcalinum quid in causa sit, omni
 ope vitandum est, ut id per lenia acida in cibo, qui valde
 levis esse debet, inque potu corrigatur, cavendo, ne quid
 nimis fiat in istis ægris, qui acido sale jam satis sunt re-
 pleti, ubi febris valde debilis adest, & qui ob labem quan-
 dam viscerum cum valetudine jam conflictati sunt.

§. XLIII.

Contagium denique præpeditur, & propagationi
 ejus limites ponuntur, si illi, qui nondum infecti sunt,
 ab ægrotorum consortio, quantum fieri potest, arcean-
 tur, & sani acida atque in primis vinum, quod Diemer-
 brœckius in Peste Bredana summe proficuum depre-
 hendit, subinde hauriant & putrescentia omnia
 vitent.

TANTVM EST!

* * * * *

Coll. diss. A. 205, misc. 25